

oro ne mihi hoc beneficium et gratiae Tuae documentum deneges.

Trifolii inclusi semina, si non habeas mitto, ut plantam exhibeas inter Tuas hortenses, cum figura etiamnum deficiat in re herbaria; arenosis delectatur.

Upsaliae, die 9. Octobr. 1769.

48.

Viro amplissimo DD. Nic. Jacquinio Professore Botanico etc. s. pl. d. Car. Linné.

Accepi numerosas iterum plantas et rarissimas e Cap. b. Spei, e Malabaria et aliis locis indicis.

*Psoralea* carthagenensis Tua forte non erit *Colutea enneaphyllos* Pluck. certe Tua descriptio non coincidit cum ista Plukenetiana, quae erit *Indigoferae* species, cum Tuam non viderim, mitto inclusam Plukenetianam.

*Penaeam* ut probe recordor inserui literis, sed iterum mitto ut eam habeas.

*Cycas* floruit, ut audivi, in vestris hortis; ejus flores nunc habui inter indicas. Fructificatio est omnino singularis, de qua multum cogitavi, et forte pauci eam intelligant. Istam procul dubio a Te, inter singulares, habebimus depictam.

Tandem accepi omnes tres *fasciculos observationum* Tuarum, quas legi multo cum oblectamento et fructu.

Ostendebam literas Tuas *D. Tidstroemio*, et ille mihi vicissim fasciculum cum inclusis pro Te lapidibus, quem mittat cum prima navi primo vere, regelata glacie, et ut aequè prompte sua peragat, impellam.

Si me beare poteris et velis omnium desideratissimae plantae Loasae seminibus, ne ea mittas sub intensissima hyeme oro, ne pereant a gelu.